



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. LVI. An Paulus viderit clare essentiam Dei sicuti est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

26

lectionem illud, *dominum videt*, referendum est ad præcedentia, nec per se sensum aliquem reddit: si autem referatur ad præcedentia, hunc sensum, habet. Moyse loquar ore ad os, & ipse videt, aut videtur Dominum; non per ænigmata, & figuras, sed palam: quo pacto textus Scripturæ magis fauet sententiæ Aug. Nihilominus, etiam si referamus illud, *dominum videt*, ad præcedentia, existimo plenum esse sensum illius loci, nec opinioni August. aliquid fauere.

Augustin.

Prior differentia inter Moysem, & ceteros Prophetas post illud. Obstat.

Numer. 12.

27

Isaia 6. Ezech. 1. 2. Visio Ezechielis, & Ioannis in Apocalypsi, & alij Prophetarum visiones fuerunt imaginariæ, id quod de Ezechiele definitur in canone Episcoporum 2. 6. q. 5. qui est Concilij Ancyran, vel Aquirensis, eumque refert Gratianus loco citati, & Bernardus in suo Decreto lib. 1. c. 1. 1. & luo, 1. 1. par. sui Decreti, c. 30. De reuelationibus quoque Ioannis in Apocalypsi constat fuisse in spiritu, hoc est, in visione imaginaria, ut ex 1. c. colligitur, & alibi sæpe nuntio, ubi Ioannes dicit, *Et fui in spiritu*, & S. Tho. 2. 2. q. 174. artic. 3. gradus prophetiæ proprie dictæ, secundum visionem imaginariam putat esse accipiendos.

Obstat. Occurrit. Inducum. & 13.

28. Dionysius.

Moyse in quo prophetæ post ipsum præstatur.

S. Thomas.

Neque obstat, quod post Moysem, Manue, & Gedeon viderint Dominum in forma corporea, & visibili, & cum eo locuti fuerint, Inducum 6. & 13. Hi enim non erant Prophetæ, nec Dominus eis locutus est tanquam Prophetis, ut populo mysteria, & futura annuntiarent. Tum etiam his non apparuit Dominus, sed Angelus, hoc est, Angelus, qui ipsis apparuit, semper ipsis loquebatur nomine suo, non Dei: contra vero Moyse multa mysteria prophetico spiritu populo reuelantur. Deus manifeste dixit: & quamuis ministerio Angelorum ei apparuit, iuxta doctrinam Dionys. 4. de celestibus Hierarchiis, ut disputat. 186. latius dicemus: semper tamen Angelus cum Moyse loquebatur nomine dei: non ita cum Gedeone, & Manue.

Quod si Abrahamo, & Iacobo Dominus apparuit, Genes. 18. & 19. & 32. parum refert, primum, quia non ita familiariter, sicut Moyse, qui longo tractu sermonis in tabernaculo cum illo loquebatur. Tum etiam quia non tam aperte apparuit Angelus Abrahamo, & Iacobo nomine Dei, sicut Moyse: ad hæc, si omnes fuerunt etiam ante Moysem, quibus ipse Moyse non comparatur, sed futuris, & posterioribus Prophetis: his vero merito præfertur in eo, quod diximus: & quamuis S. Thom. 2. 2. q. 174. artic. 3. ad 1. conferens prophetam Dauidem cum Moyse, in quibusdam ipsum ante-

ponat Moyse; nobis tamen satis est, Moysem præstantiorem in eo fuisse, ut cum Domino facie ad faciem sua figura corporali fuerit locutus, sub qua Danidi non apparuit: in quo Moyse ceteris futuris Prophetis, antepositur Numer. 12. & hæc de priori differentia, & excellentia Moyse, quæ in visione Dei facie ad faciem promittitur in eo cap.

Posterior differentia est in modo locutionis, & reuelationis: nam ceteris Prophetis multa, imo præcipua per ænigmata, & figuras obscuras reuelabantur: ænigma enim est res obscura, & difficilis, quæ aliud significat, quam videtur, aut auditur iuxta doctrinam August. 15. de Trin. c. 9. hoc modo videtur Ieremias virgam vigilantem, & ollam succensam, & sic de alijs Prophetis; Moyse vero omnia manifeste, & sine ænigmatibus Dominus reuelavit, & sicut amicus cum amico suo loqui consuevit, ergo cum vulgata editio de Moyse ait: *Ore enim ad os loquar ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt*, etiam si illud, *dominum videt*, referatur ad illud, *palam, & non per ænigmata, & figuras*, tamen non significat, Dei substantiam, vel Deum ipsum à Moyse ipsum sine ænigmatibus, & figura: nam si in forma corporea apparuit, ergo in ænigmatibus, & figura visus est, sed denotat diuinas reuelationes per ænigmata, & obscuras figuras, sed manifeste Moyse fuisse communicatas, & hoc est palam, non per ænigmata Deum videre, non quidem in substantia sua, sed reuelantem mysteria: cum igitur nullus sit Scripturæ locus, nulla antiquorum Patrum traditio, aut definitio Ecclesiæ, qua constet, Deum voluisse seipsum Moyse clare, sicuti est, reuelare, probabilius videtur opinio, quæ asserit, dei essentiam non fuisse à Moyse visam.

DISPUTATIO LVI.

An Paulus viderit clare essentiam Dei, sicuti est?

Dua opposita sententia, cap. 1.

De alijs, quibus nonnulli putant concessam fuisse claram essentiam Dei visionem, cap. 2.

CAPVT I.

Dua opposita sententia.

Avg. ead. epist. 112. cap. 12. & Anselm. in illud 2. ad Cor. 12. Raptus est in paradysum, & c. S. Tho. 2. 2. q. 175. ar. 5. & in hoc artic. 11. ad 2. affirmant, Paulo quod in illa extrasi, & raptu, quem de se refert 2. ad Cor. 12. reuelatam fuisse claram essentiam Dei, sicuti est: id ipsum asserunt auctores, qui superiori disp. c. 1. de Moyse idem docuerunt, excipio Abulensem, qui eo loco solum de Moyse loquitur, sed in c. 12. Paralip. q. 18. aperte, quamuis obiter, hanc etiam sententiam amplectitur, fundamenta vero huius opinionis statim videbimus.

Mihi vero probatur opposita sententia, sicut Posterior de Moyse dixit pro ea sunt in primis omnes Patres tertie classis, quos superiori disputatione cap. 2. citavi. Ex Patribus vero secunde classis id expresse affirmat Dion. 4. illo cap. de celestibus Hierarchiis. Tertull. libro contra vtraxam, cap. illo 14. ex ijs vero, qui erant in prima classe, id etiam docet disertis verbis Nazianzenus, orat. illa 34. ceteri vero solum affirmant in vniuersum, à nemine vnquam in carne mortali visam esse essentiam Dei, nec à Moyse, & Prophetis, de Paulo

Posterior differentia in modo reuelationis.

29. August.

30.

1. August. Anselm. & Thom.

Prior sententia.

Patres 1a & 2a classis.

Dionysius. Tertullianus.

Nazianzenus.

Catharin.
Catharin.
Catharin.

de Paulo autem nullam peculiarem mentionem faciunt, præter citatos: ex recentioribus tamen hanc sententiam sequuntur Catharinus in illum locum Pauli, 2. ad Corin. 12. Clithonius in cap. 1. lib. 1. de fide Damasceni: & videtur indicare Caietan, in eundem locum Pauli.

2
Ratione pro
batur.

1 ad Th. 6.

2 ad Corin.
12.

Caietan.

Ambros.
De visionem
non impedit
operatio sem
juam.

3

Augustin.
Ambrosius
summa.
Explicatur.

10 ad 14.

4

Ad hunc non
visum Dei ef
fectum in
fide para
do.

nus ei immisit in paradiso, & putant, esse doctrinam August. 9. de Genes. ad lit. c. ult. & Bernard. serm. 2. Septuages. Hi tamen Patres solum asserunt, quadam mirabili extasi fuisse eleuatum ad intelligenda mysteria: de visione autem diuinæ essentiae ne verbum quidem. Secundo alij id affirmant de beato Benedicto, id quod docere videtur Grego. 2. Dialog. cap. 35. Greg. tamen explicat S. Thom. 2. 2. q. 180. art. 5. ad 3. & quodlib. 1. art. 1. ubi oppositum docet, ut loquatur de eximia aliqua visione, & reuelatione, non de ipsa essentia diuinæ clara visione. Tertio denique ipse August. 9. confess. cap. 10. de seipso, & matre sua, cum essent ad ostia Tiberina, id ipsum dicere videtur, de illa enim visione, quam ibi habuerunt, at in hæc verba: Si continueretur hoc, & subtrahantur alie visiones, ut talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentie, cui inspirauimus, nonne hoc est, intra in gaudium Domini tui?

Augustin.
Bernard.

Gregorius.
S. Thomas.
Neque B. Be
nedictus.

August.

Sed certe aut August. dulcedine visionis captus putauit se Deum vidisse, aut, ut magnitudinem contemplationis, & extasis, quam expertus fuerat, extolleret, eam comparauit æterno gaudio, & felicitati, de qua dicitur: Intra in gaudium Domini tui. Et quidem si alij ex his omnibus Sanctis, quos in hac disput. & præced. numerauimus, Deus suam essentiam palam reuelasset, potius credendum esset, matri suæ in hac vita eam clare ostendisse. Quis enim audeat tam speciale priuilegium alijs concessum, Virgini denegare? verum neque de ipsa certum aliquid habemus; sed quicquid pietati non repugnat, & fidei, pie etiam de ipsa credi potest. At quis audeat asserere, tot Sanctis post Ioannem Euangelistam essentiam Dei reuelatam clare fuisse: ut singulare illud encomium, quod de solo Christo dicit: Deum nemo vidit unquam, & unigenitus, qui est in sinu patris, ipse narrauit: iam amplius dicere non posset: si quidem aliqui alij præter Christum essent, qui Deum vidissent, ut nobis possent, tanquam oculati testes enarrare, de quo testimonio plura iam superiori disp. cap. 3. dicta sunt.

Neque B.
August.

De sancti
ma Virgine
quid dicen
dum.

ARTICULVS XII.

Utrum per rationem naturalem Deum in hac vita cognoscere possimus.

AD duodecimū sic proceditur. Videtur, quod per naturalem rationem Deum in hac vita cognoscere non possimus. Dicit enim Boeth. in lib. de consol. quod ratio non capit simplicem formam: Deus autem maxime est simplex forma, ut supra ostensum est. Ergo ad eius cognitionem ratio naturalis peruenire non potest.

66
Boe. Tri. q. 1.
art. 2. Et 1.
dis. 2. q. 1. ar.
1. l. 5. inter
medium, &
finem pro 4.

2. Præterea. Ratione naturali sine phantasmate nihil intelligit anima, ut dicitur in tertio de Anima. Sed dei, cum sit incorporeus, phantasma in nobis esse non potest. Ergo cognoscere non potest à nobis cognitione naturali.

2. 3. art. 7.
3 de Anima.
lex. 20. ha
bentur etiam
de mem. &
reminef. c. 1.
com. 2.

3. Præterea. Cognitio, quæ est per rationem naturalem, communis est bonis, & malis, sicut natura eis communis est: sed cognitio dei competit tantum bonis: dicit enim Aug. 1. de Trinit. quod

Libro 1. de
Trinit. c. 2. p.
1. a. princ.
com. 3.

mentis

CAPVT II.

De alijs, quibus nonnulli putant concessam fuisse claram essentia Dei visionem.

Sunt alij viri insignes, & sancti, quibus nonnulli Doctores arbitrantur visionem claram essentia Dei fuisse in hac vita mortali concessam: sed non minus absque funtamento, & ratione de illis, quam de Moysie, hoc docuerunt. Quidam id asserunt de Adamo in sopore illo, quem Dominus

Valquez in 1. part. Tomus 1.

mentis humanæ acies in tam excellenti luce, non figitur, nisi per iustitiam, fidei emundetur. Ergo Deus per rationem naturalem cognosci non potest.

Sed contra est quod dicitur Rom. 1. Quod notum est Dei, manifestum est in illis, id est, quod cognoscibile est de Deo per rationem naturalem.

Respondeo dicendum, quod naturalis nostra cognitio à sensu principium sumit. Vnde tantum se nostra naturalis cognitio extendere potest, in quantum manu duci potest per sensibilia. Ex sensibilibus autem non potest usque ad hoc intellectus noster pertingere, quod diuinam essentiam videat: quia creaturæ sensibiles sunt effectus Dei virtutem causæ non adæquantur. Vnde ex sensibilibus cognitione non potest tota Dei virtus cognosci, & per consequens, nec eius essentia videri. Sed quia sunt eius effectus à causa dependentes, ex eis in hoc perducere possumus, ut cognoscamus de Deo, an est; & ut cognoscamus de ipso ea, quæ necesse est ei conuenire, secundum quod est prima omnium causa excedens omnia sua causata. Vnde cognoscimus de ipso habitudinem ipsius ad creaturas: quod scilicet omnium est causa: & differentiam creaturarum ab ipso, quod scilicet ipse non est aliquid eorum, quæ ab eo causantur: & quod hæc non remouentur ab eo propter eius defectum, sed quia super excedit.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio ad formam simplicem pertingere non potest, ut sciat de ea, quid est, potest tamen pertingere, ut sciat de ea, an est.

Ad secundum dicendum, quod Deus naturali cognitione cognoscitur per phantasmata effectus sui.

Ad tertium dicendum, quod cognitio Dei per essentiam, cum sit per gratiam non competit nisi bonis, sed cognitio eius quæ est per rationem naturalem, potest competere bonis, & malis. Vnde dicit Augustinus in libro retractationum: Non approbo, quod in oratione dixi. Deus, qui non nisi mundos verum scire voluisti: responderi enim potest multos etiam non mundos multa scire vera, scilicet per rationem naturalem.

Conclusio est. Ex sensibilibus non potest tota Dei virtus cognosci: ac proinde nec eius essentia videri.

ARTICVLVS XIII.

¶ Vtrum per gratiam habeatur altior cognitio Dei quam ea, qua habetur per rationem naturalem.

67

AD decimum tertium sic proceditur. Videtur, quod per gratiam non ha-

beatior altior cognitio Dei quam ea, quæ habetur per naturalem rationem. dicit enim Dionysius in libro de mystica Theologia, quod ille, qui melius vnitur Deo in hac vita, vnitur ei sicut omnino ignoto. Quod etiam de Moyse dicit: Qui tamen excellentiam quandam obtinuit in gratiæ cognitione. Sed coniungi Deo, ignorando de eo, quid est, hoc contingit etiam per rationem naturalem. Ergo per gratiam non plenius cognoscitur à nobis Deus, quam per rationem naturalem.

2. Præterea. Per rationem naturalem in cognitionem diuinorum peruenire non possumus, nisi per phantasmata, similiter etiam nec secundum cognitionem gratiæ. dicit enim Dionysius 1. c. celest. Hierarch. quod impossibile est nobis aliter lucere diuinum, nisi veritate sacrorum velaminum circumuelatum: ergo per gratiam non plenius cognoscimus Deum, quam per rationem naturalem.

3. Præterea. Intellectus noster per gratiam fidei Deo adhæret? Fides autem non videtur esse cognitio: dicit enim Gregorius in homil. quod ea, quæ non videntur, fidem habent, & non agnitionem. Ergo per gratiam non additur nobis aliqua excellentior cognitio de Deo.

Sed contra est, quod dicit Apostolus 1. Corinth. 2. Nobis reuelauit Deus per spiritum suum, illa scilicet, quæ nemo principum huius seculi nouit: id est, philosophorum: ut exponit glossa.

Respondeo dicendum, quod per gratiam perfectior cognitio de Deo habetur à nobis, quam per rationem naturalem. Quod sic patet, cognitio enim quam per naturalem rationem habemus, duo requirit: scilicet phantasmata ex sensibilibus accepta, & lumen naturale intelligibile, cuius virtute intelligibiles conceptiones ab eis abstrahimus. Et quantum ad utrumque iuuatur humana cognitio per reuelationem gratiæ. Nam & lumen naturale intellectus confortatur per infusionem luminis gratuiti, & interdum etiam phantasmata in imaginatione hominis formantur diuinitus magis experimentia res diuinas, quam ea, quæ naturaliter à sensibilibus accipimus, sicut apparet in visionibus prophetarum. Et interdum etiam aliquæ res sensibiles formantur diuinitus, aut etiam voces ad aliquid diuinum exprimendum, sicut in baptismo visus est Spiritus sanctus in specie columbæ, & vox Patris audita est: Hic est filius meus dilectus.

Ad primum ergo dicendum, quod licet per reuelationem gratiæ in hac vita non

Libr. 1. Reg.
1. c. 4. 10.
1. id dixerat
Aug. 1. libr.
Soliloq. c. 1.
10. p.

Cap. 1. in
medium.

Hemil. 16. in
Euan. 5. a
med. idem.

Hier. in ill
lum locum,
cap. 9.

non cognoscamus de Deo quid est, & sic ei quasi ignoto coniungamur: tamen plenius ipsum cognoscimus in quantum plures & excellentiores effectus eius nobis demonstrantur, & in quantum ei aliqua attribuiamus ex reuelatione diuina, ad que ratio naturalis non pertingit, vt Deum esse Trinum, & vnum.

Ad secundum dicendum, quod ex phantasmatibus, vel à sensu acceptis secundum naturalem ordinem, vel diuinitus in imaginatione formatis tanto excellentior cognitio intellectualis habetur, quanto lumen intelligibile in homine fortius fuerit. Et sic per reuelationem ex phantasmatibus plenior cognitio accipitur ex infusione diuini luminis.

Ad tertium dicendum, quod fides cognitio quædam est, in quantum intellectus determinatur per fidem ad aliquod cognoscibile. Sed hæc determinatio ad vnum non procedit ex visione credentis, sed à visione eius, cui creditur. Et sic in quantum deest visio, deficit à ratione cognitionis, quæ est in scientia. Nam scientia determinat intellectum ad vnum per visionem, & intellectum primorum principiorum.

Conclusio est. *per gratiam aliorum habetur notitia, quam per rationem naturalem.* Circa artic. 12. & 13. nihil inuenio notatione dignum. Eorum doctrina satis perspicua manet ex ijs, quæ diximus in artic. 2. qualiter scilicet deus videri non possit per aliquid prius visum; ex quo sequitur nec ex creaturis prius cognitis videri posse.

QVÆSTIO XIII.

De nominibus Dei.

Consideratis his, quæ ad diuinam cognitionem pertinent, procedendum est ad considerationem diuinorum nominum: vnumquodque enim nominatur à nobis secundum quod ipsum cognoscimus.

ARTICVLVS I.

Vtrum aliquod nomen Deo conueniat.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod nullum nomen Deo conueniat. Dicit enim Dionysius 1. cap. de diuin. nomin. quod neque nomen eius est, neque opinio Et Prouer. 30. dicitur: Quod nomen eius, & quod nomen filij eius, si nosti.

2. Præterea. Omne nomen aut dicitur in abstracto, aut in concreto, sed nomina significantia in concreto non competunt deo, cum simplex sit: neque nomina significantia in abstracto, quia non significant aliquid perfectum subsistens. Ergo nullum nomen potest dici de deo.

Vasquez in 1. part. Tomus I.

3. Præterea. Nomina significant substantiam cum qualitate; verba autem, & participia significant cum tempore, pronomina autem cum demonstratione, vel reuelatione, Quorum nihil competit deo: quia sine qualitate est, & sine omni accidente, & sine tempore, & sentiri non potest, vt demonstrari possit, nec relatiue significari: cum relatiua sint aliquorum antedictorum recordatiua, vel nominum, vel participiorum, vel pronominum demonstratiuorum. Ergo Deus nullo modo potest nominari à nobis.

Sed contra est, quod dicitur Exodi 15. Quasi vir pugnator omnipotens nomen eius.

Respondeo dicendum, quod secundum Philosophum voces sunt signa intellectuum, & intellectus sunt rerum similitudines. Et sic patet, quod voces referuntur ad res significandas mediante conceptione intellectus. Secundum igitur quod aliquid à nobis intellectu cognosci potest, sic à nobis potest nominari: ostensum est autem supra, quod Deus in hac vita non potest à nobis videri per suam essentiam, sed cognoscitur à nobis ex creaturis secundum habitudinem principij, & per modum excellentiæ, & remotioris. Sic igitur potest nominari à nobis ex creaturis. Non tamen ita, quod nomen significans ipsum exprimat Diuinam essentiam secundum quod est: sicut hoc nomen, homo, exprimit suam significationem essentiam hominis secundum quod est: significat enim eius definitionem declarantem eius essentiam. Ratio enim quam significat nomen, est definitio.

Ad primum ergo dicendum, quod ex ratione dicitur Deus non habere nomen, vel esse supra nominationem, quia essentia eius est supra id, quod de Deo intelligimus, & voce significamus.

Ad secundum dicendum, quod quia ex creaturis in Dei cognitionem venimus, & ex ipsis eum nominamus: nomina, quæ Deo attribuiamus, hoc modo significant, secundum quod competit creaturis materialibus: quorum cognitio est nobis connaturalis, vt supra dictum est. Et quia in huiusmodi creaturis ea, quæ sunt perfecta, & subsistentia, sunt composita: forma autem in eis non est aliquid completum subsistens, sed magis quo aliquid est: inde est, quod omnia nomina à nobis imposita ad significandum aliquid completum subsistens significant in concretionem, prout competit compositis. Quæ autem imponuntur ad significandas formas simplices, significant aliquid non vt

Bb 2 subsi-

Libr. 1. periphr.
herm. c. 1.
tom. 1.Artic. 11. 2.
precedent.2. preced.
Artic. 4.

subsistens, sed ut quo aliquid est: sicut albedo significat, ut quo aliquid est album. Quia igitur & Deus simplex est, & subsistens est, attribuius ei nomina abstracta ad significandam simplicitatem eius, & nomina concreta ad significandum subsistentiam, & perfectionem ipsius: quamuis utraque nomina deficiant à modo ipsius, sicut intellectus noster non cognoscit eum, ut est, secundum hanc vitam.

Ad tertium dicendum, quod significare substantiam cum qualitate, est significare suppositum cum natura, vel forma determinata in qua subsistit. Unde sicut de Deo dicuntur aliqua in concretione ad significandum subsistentiam & perfectionem ipsius, sicut iam dictum est, ita dicuntur de Deo nomina significantia substantiam cum qualitate. Verba vero, & participia consignantia tempus dicuntur de ipso, ex eo quod æternitas includit omne tempus. Sicut enim simplicia subsistentia non possumus apprehendere, & significare, nisi per modum compositorum, ita simplicem æternitatem non possumus intelligere, vel voce exprimere, nisi per modum temporalium rerum, & hoc propter connaturalitatem intellectus nostri ad res compositas, & temporales. Pronomina vero demonstratiua dicuntur de Deo secundum quod faciunt demonstrationem ad id quod intelligitur, non ad id quod sentitur. Secundum enim quod à nobis intelligitur, secundum hoc sub demonstratione cadit. Et sic secundum illum modum, quo nomina, & participia, & pronomina demonstratiua de Deo dicuntur secundum hoc, & pronomina, & nomina relatiua significari potest.

Conclusio, & summa articuli est. Non potest Deo nomen imponi, quod exprimat eius essentiam, sicut est, sicut nomen, homo, exprimit essentiam hominis, eo quod definitionem illius significet: potest tamen imponi nomen ex creaturis desumptum, quod ipsum Deum quodammodo significet.

DISPUTATIO LVII.

An essentia Dei aliquo nomine significari possit, sicut est, & (ut aiunt) quidditative.

Varia opiniones Theologorum, cap. 1.

Non solum Beati, sed viatores etiam possunt Deo nomen imponere, quod ipsum essentialiter, & quidditative significet, cap. 2.

Explicatur amplius præcedens doctrina, cap. 3.

CAPVT I.

Varia opiniones Theologorum.

Contrauentia hæc non solum de viatoribus, sed de Beatis etiam intelligitur, quæritur enim vniuersè, an ab aliquo creato intellectu pos-

sit Deo nomen imponi, quod eius essentiam, sicut est, & ut aiunt, quidditative significet: variant autem Theologi inter se, atque opinionum varietas ex vario modo loquendi orta videtur: nam re ipsa sibi non aduersantur: referam igitur, quid alij sentiant, & tandem meam sententiam explicabo.

Capreolus in 1. dist. 22. art. 1. q. 1. Bassolis q. 1. artic. 2. conclus. 3. & 4. Caiet. in hoc artic. Ferrar. 1. contra gent. cap. 31. & recentiores aliqui, duo asserunt. Vnum est, non posse à viatoribus nomen imponi Deo, quod ipsum significet quidditative, & sicut est. Alterum est, bene posse nomen huiusmodi imponi à Beatis: hæc duo videntur quoque docuisse antiqui Theologi, Antistodoren. lib. 1. Summa, cap. 3. Bonavent. in 1. d. 22. artic. 1. q. 1. Ricardus art. 1. quest. 1. in corpore, & ad 3. & 4. argumen. secundum ordinem, Marfil. in 1. quest. 25. art. 2. Henricus in Summa, artic. 73. q. 6. & S. Thomas. contra gent. cap. 31. imo vero idem S. Doctor. in hoc art. Alex. 1. p. q. 48. memb. 1. Albert. in 1. d. 2. art. 16. & Duran. in 1. d. 22. q. 1. nu. 5. Thomas de Argentina q. 1. art. 1. licet non tam aperte (cum solum de viatoribus loquatur) eandem sententiam videatur tradidisse. Omnes enim in eo conueniunt, ut asserant, nominum impositionem pensandam esse ex cognitione rei, quam habet, qui nomen imponit.

Ex hoc autem principio probant Capreolus, Bassolis, & Caiet. duo, quæ retulimus. Si enim nomen significatio, & impositio sequitur mensuram cognitionis, quam habet de re ille, qui nomen imponit: & viatores non cognoscunt Deum, sicut est: Beati vero vident quidditative: sequitur, à viatoribus non posse nomen imponi, bene tamen à Beatis quod ipsum Deum significet, sicut est. Propositionem autem, cui tota hæc ratio innititur, eo probant, quod nomina sint signa conceptuum proferentis, aut imponentis illa, non audientis: ideo enim aliquis nomen imponit, aut proferit, ut suam mentem alteri exprimat: ergo talis erit nomen significatio, qualis est scientia, & cognitio imponentis, aut etiam proferentis. Sunt tamen recentiores aliqui Thomistæ, qui adhuc negant, à Beatis imponi posse nomen significans Deum essentialiter ipsis etiam Beatis, & videntibus ipsum: hi autem non putant, ex cognitione solum, quam habet ille, qui nomen imponit, aut eo vitur, expendendam esse eius significationem. Rationem vero, quæ id probant, asseremus infra cap. 3.

Addunt deinde Bassolis, Antistodoren. Bonavent. Ricard. & Marfil. & Ferrar. id, quod recentiores etiam aliqui expresse docent, nec negare possunt Caiet. & Capreo. cum ex eorum communi fundamento euidenter sequatur, addunt inquam, solum Deum posse sibi nomen imponere, quo se ipsum significet perfecte, seu (ut alij dicunt) comprehensiuè. Neque enim negant, ab alio, quam à Deo, nempe à Beatis imponi posse nomen, quod significet ipsum Deum quidditative, atque adeo perfecte: sed per significationem perfectam nominis intelligunt comprehensiuam. Probant autem ex eodem fundamento, quia solum Deus se comprehendit, ut probatum manet disp. 53. ergo solum sibi potest ponere nomen, quo se ipsum significet comprehensiuè, siquidem nominis significatio sequitur mensuram cognitionis, quæ de re habet ille, qui ipsum imponit.

Verum Henricus à reliquis Doctoribus allegatis in aliquo dissentit in Summa, art. 73. q. 9. qui in duobus

Capreolus.
Bassolis.
Caietanus.
Ferrar. 1.
Prior sententia.

Antistod.
Bonavent.
Ricardus.
Marfil.
Henricus.
S. Thomas.
Alexand.
Albertus.
Duranus.
Argentina.
Fundamentum
suum illum.

Prioris sententia contraria.
Bassolis.
Bonavent.
Ricardus.
Marfil.
Ferrar. 1.
Caietanus.
Capreolus.

Posterior
Henricus
sententia.

In solutione
graced.